

1686.

1. Berger, Joh. Henr.: De levis notae macula.
2. Berger, Joh. Henr.: Necessitatem curatores in
actis mulierum publice exhibet . . .
3. Brendel, Joh. Kerp.: Usufructum rei fungibilis
. . . publico . . . examini sistit.
4. Brendel, Joh. Kerp.: Sufficiens testamenti
querelam . . . publico examini sistit.
5. Brendel, Joh. Kerp.: De legitimatione
per subsequens matrimonium.
6. Felleke, Nath.: Sententiam de stabilito
imperio per conditionem conscientiarum
in negatio religionis . . . ulterioris
disquisitioni sistit.
7. ^{a. 17} Heber, Georg Mich.: De jure ignotorum
8. Leiser, Wilh.: De jure mutui
- 9^{a. 6} = Lyser, Wilh.: In actione negatoria utrum
actor probare debeat, an reus? 2 Exempt.
- 10^{a. 6} = Leiser, Wilh.: De contractibus, qui in scriptis
fiunt. ad l. contractus 17 l. de fide instrum.

11. Ludovici, Joh. Georg: Dissertationis academicae, quae unum
subjectum legis naturae vindicant
12. Naevis, Joh. Paulus: De potestate principis circa
jurisdictionem et disciplinam ecclesiasticam.
13. Wolffhant, Li. Fider: Quid homini naturaliter
pro vita liceat?
14. Ziegler, Karpus: De privilegiis militum.
15. Ziegler, Karpus: De rebus pro secretis
habitis
- 16^{a. b. c.} = Ziegler, Karpus: De jure exigendi collectas
et elocationem filiarum illustrium. 3 exempl.
17. Ziegra, Christianus Sam: De monasteriis protifi-
cium et oneribus tempore belli Turcici non
penitus exemptis
- 1687.
1. Berger, Jo. Henricus: Fontes adjectivorum
qualitatum . . .
2. Bayer, Jo. Henricus: Renunciationem jurium

1687

3. Berger, Jo. Henricus : De jure rerum pertinentium.
4. Berger, Joh Henricus : De privilegiis aegrotorum
5. Brendel, Joh. Kasper : Privilegium dotis in con-
cursu creditorum.
6. ^a Brendel, Joh. Kasper : Forma fidejussionis.
6. ^b Graun
7. Heber, Georg Mich : De jure eligendi
8. ^a Kirchmayer, Georg Kasp : Latinitas legalis praeter
8. ^b ~~meritum suspecta~~, . . .
8. ^c Kirchmayer
9. Leiser, Wilhelm : De prorogatione jurisdictionis
10. Leiser, W. Chelun : De crimine laesae majestatis
10. ^b Leiser, W. Chelun : De crimine laesae majestatis
10. ^c Leiser, W. Chelun : De reservatione juris competentis.
11. ^a Leiser, Joh. Georg : Neminem ad se conservandum
abigiari. . . Demonstrare conatur.
11. ^b Schöpfler A, Rom. Land : Proportiones historico-geo-
graphicas . . . Ediderit atque defendet . . .
12. Thile, Joh : De usu et abusu potus calidi cum
herba theae
13. Westkämper, Joach : Promissionem ob turpem causam
non esse obligatoriam . . . defendet

1687

14. Wendius, Joach. Formicell: Natalium apud Veteres
solemnitatem . . . proponunt.

15^{a-6} = Ziegler, Kasper: De praedictis censiticis
Zur altus 2 Exempl.

16. Ziegler, Kasper: De pubertate proximis
et omnes iuris.

17. Ziegler, Kasper: De jure successionum et
heredum.

10221
L. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO

DE

JURE MUTUI,

Quam

Annunte DEO

Magnifici JCTORUM Ordinis

in illustri ad Albim Academia

Consensu

PRÆSIDE

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO

atq; CONSULTISSIMO,

DN. WILHELMO LEISERO,

J. U. D. & Cod. P. P. Curia Electoralis, Consistorii

Ecclesiastici, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Adfesso-
re gravissimo meritisimoq; &c.

Domino Patrono ac Studiorum suorum Promo-
tore multis nominibus colendo.

Publico eruditorum examini subjicit

AUTOR

CHRISTIANUS Gottlieb CALERTUS,

Dresd. Misn.

In Auditorio Jctorum,

D. Sept. M DC LXXXVI.

WITTENBERGÆ,

Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

VIRIS
Nobilissimis Amplissimis, Consultissimis
& Prudentissimis,

DNN.

**CONSULIBUS
ET SENATORIBUS**

Inclytæ, quæ est Dresdæ Reipubl.
dignissimis,

DNN. Patronis & Promotoribus
suis omni observantiæ cultu prosequendis

Dissertationem hanc

Dedicare voluit, debuit

AUTOR.



Q. D. B. V.

SI ea potissimum, judicante ita apud *Laertium Aristippo* adolescentibus addiscenda, quæ viris olim usui futura sunt, à scopo ni fallor meo non aberraturum me puto, si ejusmodi disputandi materiam elegero, quæ & jucundissima pariter atq; utilissima forum imprimis quærentibus accidere potest. Hunc enim in finem sacratissimus Imperator Justinianus jura obsoleta rescare & usitata tantum inserere jusfit, ut tam aures, quàm animi tyronum juris nihil inutile, nihilq; perperam positum, sed quod in ipsis obtineret rerum argumentis acciperent §. 3. *I. Proem. Instit. Prefat. ff. 3. §. 11. L. un. C. de dedit. toll.*, quippe quæ in usu non sunt: ne attendenda quidem sunt: Turpe est enim, ut ait *Catullus*, difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum *Wesenb. in Parat. de Vulg. & Pupil. Substit. n. 9. Harpr. ad pr. tit. de L. Aquilia n. 5.* Hinc cum Jus mutui ob nativam suam, quâ gaudet, fori utilitatem ac necessitatem, præ cæteris Juris materiis semper mihi placuerit, tenues proinde ingenioli vires periclitanti, Tu O! Sanctissimum numen coeptis adesto meis !!!

CAPITIS I.

Sectio I.

De

ONOMATOLOGIA Mutui

Cum exquisitori verborum notitiâ in ipsius rei naturam provehamur feliciter: Mutui quoq; indolem enucleasse juvabit. Ventilanda vero hac ratione occurrit tripliciter, quoad Etymologiam, Homonymiam & deniq; Synonymiam, de quibus sigillatim: Non igitur, ut opinor, injuste facturus, primum convertendo me ad Ety-

A 2

molo-

mologiam, ob maximum sc. in explicandis rerum nervis emolumentum dum vim pondusque vocis accurate exhaurit teste *Everh. in loc. leg. loco ab Etymol. n. 2.* cumque etiam verba sint notæ rerum *L. 6. ff. de aliment. leg. iis cognitis*, rei ipsius naturam intrinsecam penitus perspicere possumus, qua methodo in interpretando Jurisconsulti egregie defuncti sunt, quorum vestigiis ductu *L. 1. §. 2. ff. de J. & J. L. 1. ff. de Pañ. L. 1. ff. de furt.* inhærere mihi licebit.

§. 2. Mutuum à mutando non illepide derivari opinatur *Anton Perez. in C. tit. si cert. pet. n. 2.* Ne autem ejus opinio instabileretur fundamento, atque vires haberet, quo se defendere possit, rationem addit in subsequens quod sc. mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipiatur & reddatur. Ita instructus contra JCTUM Paulum in *L. 2. §. 2. ff. de R. C. ut & Sacratiss. Imperatorem Justinianum in pr. J. Q. M. R. C. obl.* strenuè armat, hanc veriore[m] ipsius Imperatoris descriptione esse jactitans. Verum enim vero, si obtineret hæc Perezii notatio, inde sequeretur, quod permutatio sit Mutuum & Mutuum permutatio ita sentiente *Harpr. ad tit. J. Q. M. R. C. O. n. 6.* cujus tamen contrarium verius, differunt enim in eo, quod in permutatione aliud pro alio detur, in Mutuo vero res ejusdem generis, quantitatis, qualitatis & bonitatis restituatur secundum tradita *D. Sævi Prof. olim hujus loci celeberrimi in Velit. I. th. 3. lit. a.* hinc breviter respondendum: quod à meo tuum fieri Mutuum recte derivetur: Idem testatur *Corvinus in Enchirid. n. sit. p. 248. Schnob. d. D. 8. th. 2. pr.* cui calculum suum addit eruditiss. *Grotius in Enchirid. de princ. Jur. natural. cap. 17. §. 3.* dum inquit: Mutui vocem ex duabus Græcis *μῦτον* conflare, quod meum tuum significat. Ad stipulatur ipsi *Excell. D. Otto Thabor in Element. Jur. p. 195. n. 24.* quod illud mutui sit proprium ac ejus formam intrinsecam constituat, quam sit implicata seu innexa causa seu titulus modo transferendi domini *Struv. Exerc. 16. th. 8. Sutbold dissert. 13. Aph. 13.* ac proinde rei mutationem non proprie facere mutuum *Oldendorp. in act. forens. Et. 4. Act. 17. p. m. 500.* firmam vero satisque probatam esse laudati Pauli sententiam à destructo consequente ad antecedens concludentis. Reciprocationem enim in voce mutui latere tam probant argumenta *L. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor. & L. 39. ff. solut. matrim.*, tum inde liquet, quod ea, quæ reciproca

1026
ciproca sunt, vocemus mutua sic dicimus mutuum amorem, mutu-
uum odium, mutuum honorem &c.

§. 3. In mutui vero Homonymia & Synonymia exponenda
brevis ero. Prioris tres sunt species quarum alia nascitur ex *L. 2. §. 3. ff. de R. C. & pr. J. Q. R. M. C. obl.* pro re sc. mutuo data, alia pro
ipso actu mutuante, alia deniq; pro ipso contractu, ubi res eo animo
à Creditore datur, ut mox, traditione facta, dominium in ipsum
debitorem transferatur. Posterioris vero variaz: Crediti n. nomen
meretur in significato strictiori juxta *L. 4. pr. L. 10. 15 ff. de R. C.* licet
in latiori acceptione omnes contractus, quibus alienam sequimur
fidem, complectitur *L. 1. pr ff. eod. L. 2. §. 3. b. t. Schnob. supr. laudat.*
disp. 8. th. 1. Vocatur etiam Certum cujus tamen vocabuli acceptio
latior est. *Anton. Perez. in C. tit. si cert. pet. n. 1* aliosq; passim JCTOS
facit hinc *Rubrica ff. atq; C. si cert. pet.* Salutaris quoque pecuniæ
datio *L. 3. §. 3. ff. ad S. C. T. Maced.* Mutui datio *pr. J. Q. M. R. C. O.*

Sectio II.

De

περὶ ματολογία MUTUI.

Exhibens Mutui fundamentum.

Indigentiam ac humanas necessitates contractus penè omnes v.g.
emtionem venditionem, locationem conductionem, societatem,
depositum, mutuum & alios innumerabiles introduxisse, exsertè di-
cit Imperator in *§. 2. l. de J. N. G & C. circa fin.* Cum enim Deus
Ter Optimus Maximus post lapsam proh dolor! deplorandum,
communem quidem nascendi omnibus sortem, fortunarum autem
inter mortales inæqualem esse permiserit, & quæ ipsius divinissima
est providentia, unicuique suum distribuerit, sæpenumero autem
contingat vel fortunarum existente jacturâ vel aliam ob causam, ut
certa quadam re indigeat, nec reperire aliquem facile, nostris im-
primis exulceratissimis ac extremâ quasi spe pendentibus tempori-
bus, possit, qui eam rem sibi donare adeoq; inopiæ ipsius aut sponte
aut imploratus succurrere velit, neq; tamen emtionem subsidiis de-
stitutus celebrare valeat, Is certe cogitabit de illa re sibi acquirenda
sub promisso sc. restitutionis, & tunc si res est fungibilis, (de qua
ulterius infra dicendi locus erit) promittere necesse habebit, se ali-

A 3

quando

quando tantundem restitutum, cui si alter acquiescat, atq; ita rem petitam tradat, statim nascetur contractus mutui perfectus, vid. ulterius *Guilelm. Grotius Cap. 17. §. 2.* Et hactenus natura quidem hujus contractus requirit, ut sit gratuitus, nec ultra quod datum, reddendum; re enim constat, ideo ultra quam datum est, obligatio ad reddendum nasci non potest, uti bene docet laudatus supra *Dominus Suevus in Velit. XI. th. 5. lit. c.* quæ sanè dispositio J.C. cum divino ac Canonico ea ratione quam placidissimè conspirat uti patet ex *Deuteron. 15. v. 7. & 8. Luc. 6. Cap. quoniam 2. & 3. X. de usur. Cap. quanquam enim usurarij 2. in 6. eod. Cap. si quis & Cap. seq. C. 14. qu. 4.* Verum enim vero cum gratis ut plurimum homines poeniteat esse probos, ac Christiani etiam Imperatores animadverterent, in hac mortalium vita usuras vix prohiberi posse, temporibus jam olim *Leonis*, id quod ex ipsius *Nov. 83.* patet commoti fuere permittere usuras, quas Prædecessores eorum prohibuerant moderatas tamen, ne divites sine spe lucelli in eos forsan, qui pecunia indigebant, difficiles atque immites essent, & hac ratione commercia hominum, quibus tamen Republicæ carere nequeunt, impedirentur atque sufflaminarentur, adeoque certum modum Imperatores præscriperunt, eundemque quantum in ipsis fuit, ad Christianæ charitatis regulam accommodarunt, ut sc. pro mutandi officio ultra sortem in stipulatū deduci usuræ & recte etiam exigi possint *L. 7. §. 8 & 26. C. de usur. vid. ulterius Recess. Imperii de anno 1500. zu Augspurg & imprimis auster reformation guter Policey de anno 1530. 1548. & 1577. tit. von Bucherlichen contracten §. diessel verssehen. vid. diss. sub Præsidio Excell. D. Heb. de mutuo anno 1684. h. habit a th. 8.*, qua stipulatione omnino opus, cum in mutuo aliisq; stricti juris contractibus usuræ citra vinculum stipulationis peti non possint *L. 3. C. eod.* quæ alias in Bonæ fidei contractibus ex sola mora debentur *L. 32. §. 2. ff. eod.* Non tamen ultra determinatam à Lege quantitatem usuras vel stipulari, vel ob moram exigere licet, sed superfluum debitori restituendum vel sorti imputandum. Quantitatem autem in Jure Civili pro varietate personarum definitam exhibet *L. cit. 26. §. 1. C. de usur.* vid. iterum laudat. supra cit. *D. Suevus in Velit. XI. th. 5. circa fin.* id quod Sereniss. Legislatores nostri Saxonici in permittendis usuris, & determinata illarum quantitate probe & pie observarunt, uti

uti patet ex Rubrica & nigro des Torgauischen Ausschreibens tie.
von Wucher und wucherlichen Contracten und Partiten / auch
von nachgelassenen Zinsen. dum hodie usuræ quincunces nostris
provincialibus Constitutionibus permittuntur, quippe quæ quasi
sunt fructus pecuniæ & temporis utilitas ceu docte de illis loquitur
• Castrense & Natta Zanger. in p. 3. de Except. c. 25. n. 40.

Sectio III.

Ubi sistitur

MUTUI DESCRIPTIO.

Hactenus dicta sufficiant de Mutui fundamento. Ad ipsius igitur descriptionem ut pressius accedam, instituti ratio me admonet. Quamvis autem accuratam proponere definitionem arduum pariter atque periculosum foret, cum omnis definitio imprimis in Jure Civili periculosa sit, & parum subsit, ut non subverti possit per *L. 202. ff. de R. I.* qualemcunque igitur loco illius, descriptionem exhibere mihi permissum, nemo, ut existimo negabit. Variant vero non leviter Dd. in deducenda Mutui descriptione, *Hubert. Giphani. L. 3. disp. 24. th. 11. p. 13.* Mutuum sequentibus verbis describit, quod sit. Contractus Juris Gentium, quo quantitas alicui eâ lege datur, ut quantitas in eodem genere non in specie eadem restituatur. Uberiore secundum *D. Struv.* delineo talem: **Mutuum est Contractus Consensualis, Realis, Juris Gentium, Stricti Juris & Nominatus, quo res in pondere, numero, mensura consistens, ad eoque fungibilis, in hoc datur, ut accipientis fiat, & tantundem ejusdem generis & qualitatis reddatur.**

§. 2. Hujus quidem descriptionis nervum, uno exponere verbo impossibile erat, nemo igitur, mihi videtur, ordi-
ne rem exsequi. Appellavi vero **Mutuum Contractum,**

pro-

quod inter contractus reales in *pr. I. Q. M. R. C. obl. sigillatim* referatur, describunt pariter nobiscum ita Mutuum *Magnif. D. Ziegl. Thabor, Corvinus, Maulius, Franzk, c. l.* aliiqve passim Dd. tum quod ex rei ipsius dati one substantiam suam nanciscatur, & non, nisi re à mutuante tradita & à mutuataro accepta perficiatur per *L. 2. §. 3. vers. item mutuum ff. de R. C.* Nam ei, qui voluit mihi pecuniam credere, sed non credidit, nihil debeo, inquit *Seneca lib. 6. de benef. c. 11. referente Bernhard Suthold dissert. 13. Aph. 2.* exemplo aliorum contractuum realium §. *ideo §. de obl. ex consensu*, imo præterea requiritur ad contractus complementum, ut accedat actualis rei traditio, siue vera, quæ plerumq; de manu in manum fit *L. 2. §. 3. ff. h. t. siue ficta*, ut in casibus in *L. 9. §. f. L. 11. pr. L. 15. ff. de R. C.* (de quibus infra) quia cessante traditione & numeratione cessat & Mutuum *L. 6. ff. de SCT. Maced. Schnob. d. D. th. 5. & 6.* quum rei traditio essentiam mutui specificam constituat vid. cit. *Struv. d. Exerc. 16. th. 3. circa fin.* quæ nulla hominum conventionem salva contractus essentia separari aut immutari potest, quum essentiam ejus ingrediatur & absolvat. *arg. L. 72 ff. de contrah. emt.* & hac ratione ab aliis tam verbalibus, literalibus quam consensualibus contractibus discernitur, quum ipsa obligandi vis ex rei demum traditione vim sortiatur *Struv. d. Exerc. 16. th. 4.* Si igitur v. g. Titius Mævio, à quo pecuniam sibi credendam expectavit, se obstrinxerit, Titii arbitrio adhuc est relictum, quo minus accipiendo se ei obliget *L. 30. ff. d. R. C.* & quamvis multoties de contractu mutui celebrando conveniant contrahentes nec tamen pecunia fuerit actualiter numerata, ex mutuo obligatio non nascitur. Jejunus enim stomachus, qui pascitur plerumq; hoc amico contractu, vult rem ipsam, non admittit imaginationes aureorum montium in Arabia uti festive scribit *Oldendorp. in class. 4. Act. 17. vid. diss. sub presid. Excell. D. Heber, habitus de Mutuo anno 1684. th. 2.*

§. 5. Mutuum Contractus Juris gentium
dum statuitur à vero aberrari ne quis existimet, cum constet, Jus nostrum privatum tripertitum esse, ex naturalibus, gentium ac civilibus præceptis collectum esse §. *f. I. de Justit. & Iur.* Si igitur quis hujus Juris principia impugnare atq; Juris Civilis partem asserere,

B

rere,

rere velit, huic medelam quærendam esse existimavi ex *L. 5. ff. de Justit. & Jure §. 2. circa fin. de Jur. natur. Gent. & civ.* ubi expresse inter juris gentium contractus recensetur, idem sentiunt *Schnob. c. D. tb. 3. Maulius, Corvinus c. l. Harpr. c. l. n. 11. Hubert. Giph. L. 3. p. 13. tb. 11.*

§. 6. Ampliavi Mutuum esse Contractum stricti Juris. Mutuum enim à Bonæ fidei contractuum consortio exclusum esse notum est ex *§. 28. I. de Act.* cum unius inclusio cæterarum actionum sit exclusio not. *Vinnio* ibid præterea etiam omnia sumantur hoc in contractu stricte, quamvis bona fides ubiq; exigatur *L. 4. C. de obl. Act.* nihil tamè præterea intercessisse fingitur, quam quod in contrahendo definitum secundum stricti juris contractuum naturam. Illud in hoc contractu præcipue est notabile, quod Judex nec minimum quid superaddere vel detrahere possit, aut partes ultra id, quod datum est, contrahere valeant *L. 11. §. 1. ff. d. R. C.* nec fidejussor in duriores causam, quam ipse reus principalis obligari potest, cum absurdum foret plus esse in accessione, quam est in principali *§. 5. 7. de fidejuss.* sed illud omnimodo, quod ab initio inter partes conventum accurate observare ac juxta Libelli tenorem & contractus formam judicium ferre tenetur, quod tamen in bonæ fidei judiciis sæpius negligi facile reperitur apud *Wesemb. ad §. 28. I. de Act.* Mutuum eadem appellatione expresserunt *Maulius, Corvinus, Thabor, Giph. c. l.*

§. 7. Audit tandem Mutuum Contractus nominatus, partim ex nota, qua contractus nominati ab innominatis do ut des, do ut facias discernuntur, quod inde liquet, quando speciale atq; peculiare nomen habent, & talem revera esse statuit cum aliis *Schneidew. ad pr. 1. Q. M. R. C. obl.* partim quod speciale nomen & quidem elegantissimum *J. C.* præditum habet per *L. 2. cum aliis pluribus ff. h. t.*

§. 8. Differentiam deniq; ab aliis contractibus non ab similem sedulo ut distingvam, injungit mihi propositi mei necessitas, tum ab objecto, quod est: **respondere, numero ac**
mensura

102
mensura constans, tum à forma contractus Mutui. Res-
igitur pondere numero ac mensura constans solum in contractu Mu-
tui requiritur, pariq; passu ejo forma à cæteris contractibus distincta
est. Non nego eequidem in commodato, post mutuum, contra-
ctu primario reali, etiam dari rem pondere numero & mensura con-
stantem, ab non eam solum, sed præterea etiam res alias, sic non
propriam solum per *L. 1. §. 1. ff. commod.* sed etiam alienas *L. 15. ff. eod.*
res soli d. L. 1. §. 1. non ea, quæ usu consumuntur, nisi tantum ad o-
stentationem & pompam, v. g. pecuniam, quæ dicis causa numeratur
L. 3. §. ult. L. 4. ff. commod. in quo delitescit differentia à Mutuo
sc. 1. quod Mutuo dans debeat esse dominus rei mutuo datæ *L. 2. §.*
4. ff. de R. C. (2.) quod non transit in Commodato dominium sed
solum usus *§. 2. I. Q. M. R. C. nbl.* nec (3.) restituitur res in genere
pr. I. eod. sed in specie *§. 2. I. eod.* Differt etiam Mutuum à Deposito,
quod in eo non sit eadem objecti ratio, quæ in mutuo: Obje-
ctum enim depositi etiam possunt esse res aliæ, quam quæ pondere,
numero & mensura constant, ut in casu *L. 23. ff. depos.* deinde quod
etiam pariter ut in Commodato Rei dominium non transferatur,
quod natura mutui exigit *L. 2. ff. de R. C. & pr. 7. Q. M. R. C. obl.* sed
ut ejus saltem præstetur custodia, ac quandocunq; deponenti li-
buerit, licet etiam convenerint de deposito certo tempore reddendo,
pacto tamen illo postposito & non attento, in continenti, prout
modo dictum, res eadem in specie non in genere restituatur *L. 1. pr.*
§. 22. 45. & 46. ff. depos. Anton. Perez. in C. tit. si cert. pet. n. 20. Dif-
ferentia pignoris à Mutuo altioris quodammodo est indaginis, dum
jus in re transferatur *arg. §. f. 7. Q. M. R. C. obl.* ubi Imperator ex-
ponit causam: quo magis ei tuto sit creditum. Sed Resp. ex jam di-
ctis patet, dum non transferendi dominii causa, sed solius securitatis
gratia hæc translatio in Creditorem accidit, & ita saltem possessio
Creditori acquiritur. *Sutbold in dissert. 13. th. 6. in f.*

CAPIT II.

Materiam Mutui sistens.

§. 1. Ad Mutui itaq; materiam perlustrandam me quoq; ac-
cingam. Existit vero in descriptione nostra phrasis: Adeoque

B 2

Fung.

Fungibilis J. quæ Functionem in genere, quum species eandem non recipiant, cum JCTO in *L. 2. ff. h. t.* designamus. Quid vero res sit fungibilis adhuc controversatur *Bernhard Suthold* (cujus verba, ut mea faciam, quæso à Te, *Lector humanissime, ut in hoc mihi des hanc veniam*) describit eas in *disert. 13. Aph. 8. seqq.* Res fungibilis, inquit, dicitur, cujus usus est in abusu, cujusmodi sunt, quæ pondere, numero & mensura constant, cum enim horum alterum suppleat alterius vicem, & tanti æstimetur una species, quanti altera, rectè dicuntur vice mutua fungi, nam fungi est tanti esse *L. pretia 63. ff. ad L. Falcid.* & functio dicitur præstatio ejusdem utilitatis, valoris & effectus: cujus erat res ex contractu tradita: *Hæc ille consentit Harpr. d. t. n. 55. cum multis ibi alleg. Dd.* Fungibiles vero ideo porro dicuntur, quia ita sunt qualificatæ, ut si iis absumentis eadem in genere reddantur, perinde sit, ac si eadem in specie restituantur, nec aliud pro alio solvatur, quod natura Mutui non admittit *L. 2. §. 1. ff. de R. C. Suthold d. D. Aph. 10. Struv. Exerc. 16. th. 14. Oldendorp. cl. 4. act. 17.* Requiritur hinc, ut res aliqua dici possit fungibilis, aptitudo & consuetudo, ut sua natura res sub pondus, mensuram & numerum cadat, atq; illud etiam ita consuetudine introductum fuerit, quamvis vero aliæ quoq; res appendi, annumerari aut enumerari possint, ut equi, libri &c. de consuetudine tamen in iis Mutuum non est receptum *Suth. c. D. Aph. 11.* & permutatio potius est, quam contractus Mutui *L. 1. ff. de rer. permut.*, quia hæc corpora præter numerationem, ponderationem aut mensurationem in hominum commercia venire queunt, imo ipsa jam determinatam à natura in se suam habent quantitatem, ac licet commune genus obtineant, ut species tamen consideratæ suis peculiaribus formis propriisq; qualitatibus à se invicem in pluribus differunt: v. g. ingenio, industria, doctrina, agilitate, virium integritate, venustate, corporis compositione, ætate & multis aliis corporis animiq; dotibus insignibus, res vero fungibiles non nisi interveniente mensuratione, ponderatione ac numeratione quantitative determinatæ in hominum commercia deducuntur. *Struv. & Oldendorp. c. l. vid. Excell. Heb. alleg. disp. th. 3.*

§. 2. Litem vero quis nobis movere posset de specifica differ-

rentia

102
rentia, cuius meminit *Dominus Struv. in d. Exerc. 16. tb. 14. & seqq.*
quæ per pondus, numerum aut mensuram
usu hominum communi determinantur.

Possit quis inquam regerere, quanam res pondere, numero aut
mensura consent? Resp. Pondere, quæ tradendo ponderantur, v.
g. Orichaleum, Æs, Cuprum, ferrum & id genus alia *pr. J. Q. M.
R. C. obl.* quæ mutua vice funguntur & æquivalent, ita ut eorum in
pondere, mensura vel numero utilitas in una specie eadem sit, quæ
est in alia *Excell. D. Heb. d. D. tb. 3. Sutbold, d. D. Apb. 8.* Perigo:
Mensura, quæ dando mensurantur: ut arida v g. frumentum, ligno-
rum acervus; vel liquida v. g. vinum, oleum, Numero: quæ nume-
rantur, ut pecunia numerata *pr. J. d. t.* quæ tamē certo modo ad pon-
dus & mensuram scilicet valorem etiam referri potest. *Zafius* quoad
pecuniam non convenit cum Imperatore, hac ratione captus, dum per
eam reliquarum rerum æstimatio fiat, sed Resp. committitur falla-
cia causæ, quantitas enim non hoc in casu accipitur, quatenus per
eam rei æstimatio fit, sed quatenus quanta, i. e. in numero, men-
sura & pondere consistit, *vid. Ernest. Frider. Schröter in animad-
vers. in alleg. Sutb. differ. ad verb. significat omnem rem fungibilem.*
Pecuniam vero recte quantitatis nomine venire testatur *L. 87. pr. ff.
de Legat. 2.* cum aliis pluribus quas vid. ap. *Schnob. d. D. 8. tb. 2.*

CAPITIS III.

De

FORMA MUTUI.

§. 1. Quum formam, quæ monente *Philosopho Thomasio*
in Erotematibus suis Metaph. Cap. 12. n. 29. dat rei esse, distingvi
& operari, in naturalibus imitetur formale in moralibus, Mutu-
um certo quoque indigere formali haud in convenienter quis affirma-
bit, cum deficiente ipsa, magna tam inter contractus reales, quam
verbales cæterosque futura sit confusio. Ipsum vero nititur à parte
dantis in consensu & actuali rei ipsius traditione, à parte vero accipi-
entis, itidem in consensu & actuali rei acceptione, unde requiri ut
ipse obligetur ad rem in eodem genere, eadem quantitate ac qualita-
te reddendam *D. Schnob. d. D. 8. tb. 6.*

B 3

§. 2. Tra-

§. 2. Traditio vero, quæ Mutui substantiale etiam audit *Magnif. Ziegler. in alleg. disp. Aph. 74.* duplici respectu consideranda venit. Alia enim est, quæ fit vel ab ipso domino, vel ab alio eius nomine rem accipienti de manu in manum realiter transferente *arg. §. 42. J. de R. D.* Perinde autem est, ait *D. Schnobel in D. 8. th. 61* sive actualiter de manu in manum res tradatur, quod fit, si pecunia verè alteri numeratur *L. 2. §. 3. ff. de R. C.* sive brevi manu traditionem intervenisse fingatur, quam fictionem brevis manus vocat *JCTUS in L. 43. §. 1. ff. de jur. dot. Struv. Exerc. 16. th. 11.* ejusmodi casus peti possunt, (qui infra uberius & fusius explicantur) ex *L. 9. §. 5. ff. de A. R. D. §. 43. J. de R. D. l. 9. §. pen. & ult. ff. de R. C. l. 11. pr. l. 15. eod. L. 3. §. pen. de donat. inter. vir. & uxor. Struv. c. l. th. 12. & 13.* quæ ficta traditio tamen eandem cum vera vim habet *§. 43. 44. J. de R. D. Maul. c. l. Tit. 2. n. 2. Excell. D. Heb. c. D. th. 10.*

§. 3. At quænam harum Traditionum accipienda est, inquires? Resp. Ultramq; Non enim solum Veram mihi vindico, quando res pondere numero ac mensura constans, à domino ipsi sollicitanti de manu in manum traditur in *d. L. 2. §. 4. ff. de R. C.* quod plerumq; fit teste *Schnobel in d. D. th. 6. in med.* ut ipse accipiens dominium rei fungibilis nanciscatur *Corv. p. 248.* (quod Mutui requisitum naturale internum vocat *Magnif. Ziegler. c. D. Aph. 85.* non enim nuda sufficit traditio, sed dari rite res debet: dare autem est dominium transferre *L. 75. §. ult. ff. de V. O. & censetur id dari cuiquam, quod ita datur, ut ejus fiat §. 14. J. de A. R.* requiruntur vero (1.) ut dominus sit dans *L. 2. §. 4. de R. C.* (2.) ut mutuo accipiens fiat dominus *d. l. 2. §. 2.* si enim non fit dominus, inutile est Mutuum, cum illud in emolumentum suum convertere nequeat, & quantitates aliter inutiles accipienti forent, quippe quarum ea est natura, ut nisi consumantur, nullum præstare possint usum *L. 5. ff. de Usufr. ear. rer. que usu consum. Struv. Exerc. 16. th. 8.* circa quam materiam singularis est *Salmasius*, in mutuo scilicet, non proprietatem sed usum rei transferri statuens atq; ita commodatum cum mutuo confundens cujus argumenta *D. Otto Tabor in partit. Elementar. p. 3. sect. 4. n. 25.* recenset atq; refutat. Sed fictam quoq; scilicet traditionem, quando nimirum citra realem de manu in manum traditionem alia ratione voluntatem suam exponit dominus: Casus est in pecunia depo-

deposita in *L. 9. §. f.* supra citata, an illa, antequam deponenti restituatur, in Mutuum degenerare possit, quæ controversia d. *L.* ita sopita reperitur, sc. à priori d. §. verb. *animo capit possidere*, à posteriori, verb. *ergo transit periculum ad eum &c.* Mutuum constitutum esse probatur. Et *L. 34. pr. vers. nec huic simile esse &c. ff. mand.* quem casum fictæ traditioni annumerari jubet *Schnob. d. D. th. 6. c. f. Harpr. c. l. n. 8.* cui sententiæ non obstat *L. 10. ff. de R. C.* ubi exceptio additur seq. nisi ab initio, cum deponerem, uti tibi, si voles, permisero: creditam non esse, antequam mota sit & merito, quia *Ulpianus* in eadem Lege pergit, inqviens: quoniam debitum iri non est certum, h. e. non liquido constat, an depositarius uti velit eo deposito, necne, ideo *Conditio illa, si volet*, suspendit mutuum, nec prius depositum convertitur in mutuum, antequam res amota fuerit, h. e. is apud quem deposita est pecunia, eo deposito utatur, quo facto depositum mutui naturam induit, ejusq; periculum depositarius subit. *L. 1. §. 34. ff. depos. Ant. Perez. C. b. t. n. 14.*

§. 4. Idem quoq; afferendum de Procuratore negotia alterius administrante, pecuniamq; apud se ex causa mandati habente, à principali postmodum mutuam rogante *L. 15. in f. ff. de R. C.* ubi in verb. *à me ad te profecta*, traditio ritè à JCTO expressa; cui non obstat *L. 34. ff. mand.* quam posteriorem cum priori varie conciliant *Dd. D. Beierus in not. marginal. ad Schnob. D. 8. th. 6. in f.* existimat distinguendos esse casus: quasi nimirum *Ulpianus* in *L. 15. ff. de R. C.* casum proponeret, quo procurator pecuniam exactam apud se ex causa mandati existentem à Mandate peteret mutuo: in *L. 34. ff. mand.* vero *Africanus* proponeret casum diversum, ubi sc. procuratur pecuniæ exigendæ præfectus, mandato jam impleto, nataq; jam tum actione mandati & sic re non amplius integra de causa debendi mutanda sollicitabat principalem, de mandantis igitur voluntate cum non constaret Africano, merito aestimavit intutum, mutatum esse contractum priorem, affirmare. Sed pactum solum priori adjectum. Alii dist. dicentes *Ulpiani* sententiam æquitatem sapere, *Africani* vero rigorem, & mero subtiliq; jure niti, quapropter *Ulpiani* retinendam esse, cum alias placeat in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisq; quam stricti juris rationem *L. 8. C.*

8. C. de judiciis juxta Maul. c. l. Tit. 2. n. 2. vid. ulterius Schnob. in f. d. th. 6. Struv. d. Exerc. 16. th. 11.

§. 5. Non levioris momenti & is videtur casus, à priori non multum recedens: v. g. Titius petit à Mævio, ut sibi mutuo det pecuniam, cum autem in promptu pecuniam numeratam non haberet Mævius, varios cateroquin debitores, quendam ex his nomine Sejum, Titio solvere pecuniam jubet. Quæ 2. igitur, an eâ pecuniâ à Sejo ad Titium ex Mævii jussione profecta, inter Mævium & Titium contractus Mutui celebratus esse censeatur? & Resp. quod sic, licet enim non Mævii, sed debitoris Seji nummos acceperit Titius, attamen cum idem sit, five meos, five Seji debitoris mei nummos acceperit, cum meos representent, imo potius revera mei sunt; Mævius obligatus est Titius per L. 15. pr. ff. de R. C. quum hic celeritate actionum conjungendarum unus ex actibus occultetur L. 3. §. 12. ff. de donat. inter vir. & uxor., nihilq; refert five ipse five alius ejus nomine solvat L. 56. ff. de solut. C. qui per alium de R. J. in 6. §. 42 J. de R. D. vid. D. Struv. d. Exerc. 16. th. 13. pr. Harpr. c. l. n. 82.

§. 6. Quid vero ad sequentem controversiam respondendum erit? v. g. Sempronius adit Lucium, multis rogans, ut sibi pecuniam mutuo daret, Lucius se excusat, quod non haberet pecuniam paratam. Sempronius vero precibus instat, Lucius denuo se in promptu pecuniam habere negat. Sempronius vero pergit instando Lucio molestus esse; Lucius ita defatigatus ait tandem, se aliter ejus voto annuere non posse, nisi præsentem lancem argenteam venderet & nummis inde comparatis mutuo uteretur, quæritur igitur, an hoc modo Mutuum sit initum? Resp. JCTUS Ulpianus in L. 11. ff. de R. C. quod sic, si vendiderit, dubitare tamen adhuc quis posset, dum re nondum vendita, & sic pretio nullo acquisito, nullum adhuc mutuum inter Creditorem & debitorem contractum esse videtur, num absq; culpa si perdiderit accipiens, ad quem periculum spectet. Distingvit verò Nerva ibidem non ineleganter, an Mutuo accipiens dantis, an sui ipsius (sc. accipientis) gratia venalem habuerit lancem argenteam, si posterius, tenetur Mutuo accipiens damnum sarcire, licet rem perdiderit L. 1. §. 4 ff. de obl. & Act. L. 11. C. si cert. pet. tum quod statim in Mutuo periculum transire soleat j. L. 9. §. f. ff. de R. C. Res autem perit suo domino L. 9. C. de pignor.

all.

102
Ratio in L. 2. §. 4. de R. C. quoniam debitor est generis, quod pe-
rire nequit §. 2. J. Q. M. R. C. O. Struv. d. Exerc. 16. th. 24., tum
quod ad eum finem acceperit, ut eam in usum suum expenderet
Harpr. c. l. n. 89. Fingitur itaque à Nerva quasi dominium rei ob mu-
tuum contrahendum tradita statim ad accipientem transierit: idque
fere ex æquitate, propter verba finalia pr. de L. sc. maxime si sine u-
suris credidi cum officium suum nemini debeat esse damnosum L.
sed si quis 7. ff. Testam. quemadm. aper.

§. 7. Haftenus de traditione tam vera quam ficta, tanquam
substantiali ac formali Mutui actum est requisito. Superest alterum
adhuc ventilandum sc. quod debitor rei fungibilis ad eandem, (quod
Mutui requisitum naturale internum est Magnif. D. Ziegler c. D.
Aph. 104.) i. e. in eodem genere L. 2. pr. §. 1. de R. C. in eadem
quantitate ac qualitate L. 3. §. 6. ff. eod. restituendam teneatur vid.
Maul. c. l. Tit. 2. n. 5. Schnob. d. d. 8. th. 9. Thabor. c. l. n. 25. Excell.
D. Heb. c. d. th. 12. §. 13. Anton. Perez c. l. n. 19. Suv. Velitat. n. th.
5. lit. d. Struv. d. Exerc. 16. th. 7. 25. 26. §. 28. in Mutuo enim reddi
oportet tantundem, ita quidem, ut si quis dederit mutuo duode-
cim thaleros, ea lege, ut tredecim recipiat, ultra duodecim tamen
non nascitur obligatio, neque plus, quam duodecim condici possint
arg. L. 11. §. 1. de R. C. cum non aliter possit contrahi realis obligatio,
nisi in quantum datum sit L. 17. ff. de pact. imo id, quod ultra sum-
mam acceptam promissum, exigere nequit, neque tanquam ex dona-
tione, nisi donandi animus ad fuisse probetur, adeoque quod reddi
debeat tantundem, est de Mutui quidditate & essentia, Si enim
Mutuum non contrahitur eo animo, ut restituatur tale, quale an-
tea dictum, sc. ejusdem generis &c. Sed ut eadem species reddatur,
tunc hæc conventio in aliam contractus speciem cadit, puta com-
mendati arg. L. 24. 25. §. 1. ff. depositi. precarii, depositi commodati
aut contractus innominati vid. Ant. Perez. c. l. n. 20. §. 22. quid verò
sit restituere omnibus notum esse puto. Genus vero h. l. secundum
animadversionem Gothofr. in not. ad L. 2. pr. ff. de R. C. lit. m. §. n. est, quod
Philosophis Species, Species vero idem ac in Logicis individuum.
Suth. d. D. in Aph. 3. Pro Cerevisia itaque actum, pro Milio Erysi-
num, pro cera picem &c. vice versa unum loco alterius fungi ve-
sarunt jura nostra; Sed pro cerevisia cerevisiam, aceto acetum,
C
pro

pro Milio milium & sic deinceps restituendum præscripserunt, ex-
plosâ omni rei intervenientis æstimatione substantiæ hujus contra-
ctus plane adversâ *arg. L. 1. §. 1. ff. de R. C. Sub. d. d. Aph. 21. Struv.*
d. 16. th. 36. pr.

§. 8. Qvari hic posset? an Cajus, qui accepit summam du-
centorum imperialium ab Aphrodisæo, eam in alia moneta curren-
te restituere posset? quamvis non admodum improbabilis hæc vi-
deri posset restitutio, si moneta, quæ restituitur, sit probi ponde-
ris & valoris, an *gütigen/gängen und geben Gelde* (ut ita solutione
in alia monetæ specie facta damnû nullum sentiat Creditor *L. 99. ff. de*
solut. quum in nummis non tam corpus quam quantitas sive potestas
spectetur *L. 94. §. 1. ff. de solut.* non materia, sed valor; valor enim
publicè impositus nummo potestatem conciliat, ad valorem enim,
non ad corpora nummorum respexerunt contrahentes, quo ten-
dunt verba *Seneca l. 5. de benef. c. 14. as alienum habere dicitur, & qui*
aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud La-
cedæmonios fuit, quod usum pecuniæ numerari præstat Sæv. in Velit. 11.
th. 6. lit. b. c. Anton. Perez. c. l. n. 23. ne tamen mihi Mutui familiare
quis objiciat, quod scilicet hac ratione aliud pro alio invito creditori
solvator *L. 2. §. 1. ff. de R. C.* optime respondet *D. Struv. Si non cer-*
tum genus pecuniæ, ut certum genus frumenti, e. g. triticum: sed
quantitas pecuniæ certa mutuo detur, e. g. centum floreni, qui si
in æque bona moneta an *guter unverschlagener / gäng und geber*
Münze / licet non ejusdem materiæ aut formæ externæ reddantur,
eodem genere & eadem bonitate solvi censentur, prout mutui in-
doles exigit *L. 2. & 3. h. t.* Neq; enim in pecunia (modo materia sit
proportionata seu æquivalens,) corpus, sed valor attenditur *L. 1. ff. de*
cont. hb. emt hinc & inter incorporales res pecunia refertur *L. 95. in*
fin. de Legat. 3. in quo differt à frumento reliquisque rebus fungi-
bilibus, quod scilicet in his & corpus & materia simul respiciatur, in pe-
cunia verò non nisi quantitas attendatur not. *Beiero in not. ad*
Schnob. disp. 8. th. 10. v. 6. ad nummos. Diversum tamen obtinet,
si conventum, ut idem genus quandoq; reddatur, h. e. ipsa corpora
nummorum pacta sunt, *Stück vor Stück /* vel alio modo thaleri
circumscripti sunt, scilicet ut reddantur probi, integri, justi ponde-
ris duorum lotorum *gute wohlgestente Reichsthaler / an Schrot*
und

und Korn unverschlagen / derer ieglicher 2. Loth Silber wieget.
Pacta enim dant LL. contractui L. 23. ff. de R. J. L. 1. §. 6. ff. de pos. vel
creditor damnum ex ea functione seu monetæ mutatione sit sen-
surus L. 99. pr. ff. de solut. vid. D. Struv. de E. 16. th. 27. Schnob. d. D.
8. th. 10. Suv. d. D. th. 6. lit d.

§. 9. Alii alias quæstioni præcedenti limitationes subjungunt,
sc. si certum genus vel certam speciem monetæ puta 200. imperiales,
ut antea dictum, promittit, tunc advertendum dicunt, an earum
valor expressus sit adjectus, an non? **si prius**, sufficit, si valo-
rem expressum in aliis probæ monetæ speciebus exhibeat, quamvis
tempore obligationis absolutè ducentorum Imperialium mutuo da-
torum mentio facta sit, nec determinatum quomodo restitutio fie-
ri debeat. Job. Zanger. de except. p. 3. c. 1. n. 175. vers. 1 nisi ab ini-
tuo aliter convenerit. Limitatur tamen I. si usoræ annuæ in thaleris
integris an harten Reichsthalern nulla augmenti deminutione fa-
cta diversis vicibus præstita fuerunt. Berl. concl. 36. n. 43. p. 2. ea e-
nim præsumitur promissio, qualis secuta fuit solutio. II. Si verba
valoris non taxationis, sed demonstrationis gratia obligationi sunt
adjecta, si sc. in regione illa variæ sint Imperialium seu thalerorum
species, tum enim videntur contrahentes perspicuè exponere volu-
isse animi sui sensa, ne tempore solutionis, de quanam specie sit
conventum, illis oriatur. Zanger Tract. de Except. p. 3. c. 1. n. 185.
III. Titius v. g. mutuo dat Mævio imperiales, quemlibet ad æstima-
tionem 24. grossorum computatum, ieglichen Reichsthaler zu
24. Groschen / Mævius vero simpliciter solutionem in integris &
unicalibus an guten genehmen Reichsthalern omisâ valoris
mentionem facere promittit, tunc Mævius, licet à Titio certus valor
speciebus creditis sit adjectus, necessariò corpora & thaleros in spe-
cie restituere tenetur, quum sponte se adstrinxerit ad thaleros in-
specie restituendos, Volenti autem non fit injuria L. 1. §. 5. ff. de in-
jur. quam sententiam confirmat Berlich. in concl. 36. n. 67. seq. ju-
rid. facult. Witteb. Responso: Ob wohl in der Verschreibung in
Eingang ein gewisser valor der Thaler gesetzt / und uahmhafftig
gemacht / dieweil aber dennoch in obligatione / und in denen wor-
ten / da der Schuldner zur Zahlung und wieder erstattung sich ver-
pflichtet

pflichtet / solcher Valor und werth der Thaler nicht wiederholet /
sondern N. N. solche vorgesezte Summā an guten genehmen Reichs-
thalern zu erlegen sich verschrieben; So ist auch N. N. solcher
seiner Verpflichtung ein genügen zu thun / und angedeutete sum-
mam mit Reichthalern Stück vor Stück zu erlegen und abzutra-
gen schuldig. Quod si verò Specierum seu thalerorum valor expres-
sus non sit adjectus, tunc tenetur solvere debitor idem genus, ita ta-
men, ut aucto valore thalerorum extrinseco, augmentum lucro de-
bitoris, & deminutio, si fortasse valor decresceret, damno ipsius
cedat, sive debitor thaleros in genere, sive in specie, v. g. Joachimi-
cos, Hollandicos, Electorales Saxonicos, Brandenburgicos &c.
solvere promiserit, quod tamen augmentum ita demum debitori
cedit in commodum, si non fuerit in mora, tunc enim non pro-
dest, licet thalerorum valor extrinsecus est auctus *J. Nov. Elect. Aug.*
p. 2. C. 28. post. pr. vers. wo aber der Schuldner in mora gewesen.
Deinde, nisi forte usurarum præstatio in annua uncialium thalero-
rum exsolutione semper fuerit facta, ubi obtinet, quod in *preced. 2.*
Limit. d. §. 9. est not. & insuper confirmatur respons. jurid. facult.
Lips. quod refert infra cit. *Maulius n. 19.*, quod de Jure Saxonico
hactenus obtinet, de Jure Civili multo magis hæc controversia om-
ni dubio carere videtur, cū natura & substantiam mutui in eo con-
sistat, quod aliud pro alio invito Creditori solvi nequeat *L. 2. §. 1.*
in f. ff. de R. C. quod accideret, si quis corpora accepisset, & loco
eorum non ejusdem generis corpora, sed alias monetæ species sol-
veret. Vid. *Maulius cit. loco Tit. 8. n. 4. §. 8. & seqq. it. n. 18. 19. & 22.*
§. 10. Quæstio hinc incidit, an Mutuatarius pecuniam acce-
ptam, præter spem ea non indigens eandem in specie reddere queat,
& Mutuo dans eam acceptare teneatur? & videri posset, quod sic,
quum accidentia substantiam contractus non immutent, & illa pecu-
niæ ejusdem restitutio non eveniat ex contractu ab initio tali, sed
demum ex postfacto præter intentionem contrahentium, (cum scilicet
eā non indigeat, hinc non eadem species ut species, sed ut res ejus-
dem generis solvitur, sicut loqui amat *Struv. de Exerc. 16. tb. 26.*) &
en d'Ag. 678, quod non accurate attendunt, sed prætereunt legis-
latores *L. 2. §. 6 ff. de LL.* Præterea favore debitoris, est receptum,
ut rei dominium in debitorem transferatur, quo scilicet nummis mutuo
datis

102
datis uti posset, hinc nec Creditori cum sacco statim adesse permis-
sum est, sed tempus aliquod indulgere debet, quo mutuo commo-
de uti queat *L. 105. ff. de solut.* & tandem in genere redderet, quare,
si vult, poterit eosdem in specie restituere, cum quilibet Juri suo
pro se introducto renunciare possit *L. 51. C. de Episc. & Cleric.* modo
fiat citra præjudicium creditoris *arg. L. 9. C. de rescind. vendit.* nemi-
ni enim officium suum debet esse damnosum *L. 22. ff. de his quibus
ut indignis & c. L. 7. ff. Testam. quemadm. aper. inspici. & c.* vid. ad
hanc quæstionem *Harpr. c. l. n. 59. 60. & seqq. Suevus in Velit. u. th.
5. lit. d. Berob. Sub. dissert. 13. Apb. 17. Schnob. d. 8. th. u. c. c. fin.*
Limitatur tamen hoc assertum, nisi ab initio statim convenerit, ut
restitutio in alia moneta fiat, tunc enim non poterit debitor eosdem
nummos, quos mutuo accepit, reddere *Carpz. 5. respons. 8. Magnif.
Zieglerus c. l. Apor. 108.* vid. insuper *Maul.* qui alioquin cum pri-
ma quæstionis determinatione quam placidissime conspirat, sug-
gerit tamen sequentem positionem v. g. *Mævius* dat mutuo *Titio*
summam 100. thalerorum an *Sechzengroschen-Stücken / eines
Schlages* / cujus genus paucis interjectis diebus devaluatur per edi-
ctum publicum, ubi valor eorum minuitur. *Titius* vult hanc sum-
mam in hac sorte pecuniæ restituere. Quæritur, an teneatur *Mæ-
vius* recipere eam summam, & adducit pro sua decisione negativam
Reusner. 2. consil. 13. quod non teneatur. Rationem addit, quia do-
minium in eum transit *L. 2. §. 2. & 4. ff. de R. C. & consequenter*
*commodum & incommodum secundum Regulam naturalem in L.
10. ff. de R. 7. & C. qui sentit de R. 7. in 6.* ideo non ea corpora, sed
pretium seu æstimationem restituere tenetur *Titius* vid. *Maul. c. l.
n. 4.* Quemadmodum autem hoc casu tenetur Creditor recipere,
ita vecissim non cogitur, si deteriores rem ut accipiat, ipsi offer-
tur v. g. vinum novum pro veteri, frumentum vetus pro novo *L. 3.
ff. de R. C. vid. Anton. Perez. d. l. n. 19. Schnob. d. d. 8. th. 9. in med.*

§. 11. Dixi porro in descriptione in quantitate ac quali-
tate eadem, notanter in quantitate (est acceptio hæc genera-
lis, ita ut omnes res pondere, numero ac mensura constantes comple-
ctatur v. g. vinum, oleum, cerevisiam, acetum, hordeum, lupu-
lum, aurum pecuniam numeratam & c. *Harpr. n. 13. Sub. d. d. 13. Apb.*

13.) quoniam ea adeo necessaria est, & ita Mutuum exprimit, ut nihil magis destruat ipsius Mutui naturam, quam pactum ne quantitas interveniat, quamvis alias pacta LL. præscribant contractibus *arg. L. 23. ff. de R. J.* demum addidi **ac qualitate** *d. L. 3. de R. C.* ita quidem, ut licet nihil de bonitate cautum fuerit, ea tamen æquè bona præstari debeat, quoniam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, ut res ejusdem generis & bonitatis solvatur, in qua datum est *L. 3. ff. de R. C. Ant. Perez. d. l. n. 21.* Restituendam vero Creditori debitum totum, (quod naturale externum Mutui requisitum vocat *Magnif. Ziegl. d. D. Aph. 127.*) cum ipsi invito per partes malè solvatur secundum *Maul. c. l. Tit. 12. n. 3.* facit huc *L. 41. §. Lucius ff. de usur.* ubi **JCTUS Modestinus** ait. *Si enim non hac Lege (i. e. pacto,) mutuo data pecunia est, ut liceret & particulatim, quod acceptum est exsolvere, non retardari totius debiti usurarum præstationem, si cum Creditor paratus esset totum suscipere, debitor, qui in solutione totius debiti cessabat, solam partem deposuit.* quod **JCTI**, responsum, licet in se clarissimum, capitali insuper textu *L. 4. §. 6. ff. de stat. lib.* (si à contrario argumentari liceat, quod affirmat *Everb. in loc. leg. A* contrariis, quod nimirum argumentum inde petatum sit forte, frequens & utile *p. 235.* confirmatur. *Item si decem dare heredi jussus fuerit, heres etiam per partes accipere favore libertatis cogendus est.* A contrario inquam, quod argumenti genus secundum tradita *Everb. JCTIS* frequentissimum.

§. 12. Cur vero particularis solutio invitum creditorem non stringat, tum ea est ratio, quoniam particularis seu minor & nulla ferè pari passu ambulant *arg. L. 9. §. 3. de ff. ad exhib. L. 6. ff. qui satisd. cogant.* Instantia datur in contractu emtionis venditionis, ubi, si pretium integrum non exsolutum est, Actio ex emto nondum nascitur *L. 13. §. 8. ff. de Act. emt.* tum etiam, quod ob varia eaq; non minima incommoda non obtrudi debet *L. 3. vers. quia saepe & c. ff. fam. erciso. L. 8. §. 9. verb. minuatim convenire singulos difficile & c. ff. de transact.* limitatur tamen in præced. *§. alleg. L. 41. §. 1.* assertum, si sc. ea lege pecunia mutuata fuerit, ut liceret, & particulam ejus, quod acceptum est, exsolvere, tunc conventioni standum & particularem solutionem recipere cogendus est invitus Creditor

ditor d.L. 41. Limitatur porrò II. Si totum debitum non sit liqui-
dum, tunc enim partem invito creditori debitor offerre potest,
quam ad deminuendas lites ut accipiat Creditor, Prætor suas par-
tes interponere debet. L. 21, de R. C. Constat enim compensationem
pro parte obligationem tollere, Obj. à quibusdam L. ult. ff. Q. M. P. vel
Hypoth. solv. Sed Resp. in illa Lege duplex occurrit debitum, ubi Cre-
ditor salvo jure pignoris nihilominus alterum debitum oblatum re-
cipere tenetur vid. laud. D. Sæv. in Velit. 11. tb. 5. lit. e.

§. 13. Restat de variatione pecuniæ quid proferre, de qua ta-
men fortean filere satius esset, quam pauca eloqui, cum hæc ipsa
materia accurata determinataque decisione indigeat: Tyroni vero
Juris, huic quæstioni paululum immorari, nemo inuidebit, si qua-
tenus valeant humeri, quidve ferre recusent, pro virium suarum te-
nuitate experiri conabitur. Proverbium autem & veriverbium a-
lias non incelebre est, & veritati proximum Schneid. ad Proæm. In-
stit. Qui bene distingvit, bene docet, hoc modo rem aggressurus
distingvo: Aut pecunia illa in utuo data vel extincta penitus ab usu
recessit, vel non, vix tamen ac ne vix quidem ob hujas monetæ in-
digentiam à mutuo accipiente & jam restituturo haberi potest. Quo-
ad prius neminem dissentientem reperiri existimo. Consentiant Jura:
præsto est L. 31. ff. de R. 7. ubi JCTUS. Ulpianus inquit: Verum est
neq; pacta, neq; stipulationes, factum posse tollere: quod enim impos-
sibile est, neq; pacto, neque stipulatione potest comprehendere, ut uti-
lem actionem aut factum efficere possit. add. L. 3. ff. de condit. & de-
monstr. L. 185. de R. 7. Hic JCTUS concedit Pacta & contractus
esse vincula homines addendum vel faciendum adstringentia L. 3. ff.
de Obl. & Act. cum hac tamen restrictione, si sint arbitrio hominis
relicta, hinc facile quis colligit limitationem L. 2. §. 1. ff. de R. C.
quod scil. aliud pro alio solvi non possit, si solvendum in rerum na-
tura haberi possit. Ita tamen in alio monetæ genere solvatur, ne
videlicet Creditor ratione bonitatis intrinsecæ vel aliarum circum-
stantiarum damnus sit passurus L. 99. de solut. cæteroquin nihil re-
fert, an idem genus in alia moneta solvatur, cum pecunia non ex
materia, sed ex quantitate ac valore, quem præstat & Magistratus
imposuit, æstimetur L. 94. §. 1. eod. Perez. d. l. n. 25. Corv. p. 252.
Struv. d. E. 16. tb. 35. & 37. verb. forte res.

§. 14.

§. 14. A qua sententia recedit tamen *Matthias Colerus Tract. de process. execut. p. 1. c. 10. n. 8. & 17.* ubi recenset casum de principe quodam, qui praefecturam quandam liberae imperiali civitati cuidam pro certa summa oppignoraverat; Civitas vero exsolverat ipsi principi integram summam in Bohemicis grossis, quorum 20. constituunt unum florenum usualem in regionibus saxoniae: Princeps vult praefecturam redimere cum alio monetae genere, recusat autem Civitas, ad eoque coactus fuit princeps Ferdinandum tum temporis Imperatorem precibus adire, ut bohemicos grossos, qui jam tum exoleverant, de novo cudi faceret, quem inducit & rejicit cum multis aliis ibi alleg. canonicis Dd. ante cit. *Maul. Tit. 8. n. 24.* cujus sententiam confirmat *c. cum canonicis 26. sub fin. X. de censib. exact. & procurat.* Nunc ad secundum distinctionis membrum me convertam. *Cum sc. moneta non penitus extincta, sed vix ac ne vix quidem haberi potest, quid tunc faciendum? Resp. Maul. c. l. n. 25. & seqq.* quod aestimatio monetae, cujus usus haberi nequit, facienda sit in nova uvali videlicet per ponderationem, si vetus numisma, cujus copia haberi nequit, unum vel alterum adhuc extet *arg. L. 1. & 2. C. d. vet. numism. potest Lib. XI. & eatenus quidem, ut vel superaddat debitor cum valorem, qui in nova decrevit, vel detrahat, qui in nova fuit auctus. add. Ant. Perez. c. l. n. 24.* Eadem quoque videtur esse ratio, si moneta quaedam mutuo fuit data, cujus nunc, cum reddere vult debitor, interdictus est a principe cursus: tunc cum *Hartm. Pistor. obs. 141. n. 1. & seqq.* solutionem in alia moneta corrente facientiam esse censemus, hac tamen monitione praemissa, ut aestimatio monetae antiquae tempore contractus praestetur a debitore per text. *C. cum Canonicis 26. X. de censib. & exaction. vid. Magnif. Ziegl. c. disp. Aph. 134. Struv. c. d. th. 30. Anton. Perez. c. l. n. 24. Schantz. Synops. Instit. h. tit.* Aestimatio vero monetae versatur vel circa ejus bonitatem extrinsecam, si certo sciri potest, quantum valuerit ipsa tempore contractus, deficiente ea, circa intrinsecam, ponderatione sc. atque taxatione veteris numismatis, ita quidem, ut tunc solvarur tantundem in alia moneta corrente, si vero nec hujus intrinsecae bonitatis, sicut modo dictum, copia haberi possit, ad alias similes convenientias respiciendum, denique arbiter seu Judex his rebus dirimendis datus, his omnibus
fru

frustra desideratis, id, quod debitori minus onerosum, eligat. *Maul. c.l. Tit. 8. n. 25. §. ulterius & seqq. usq; §. & si aliquid inclus.*

§. 15. Duplex autem monetæ bonitas solet constitui, altera *intrinseca*, quæ ipsi nummorum corpori inhæret, atq; in materia & pondere consistit, & *extrinseca*, quæ publica superioris autoritate supervenit, & valore constat *Struv. Exerc. 16. th. 29. Intrinseca* in duobus scilicet, in Liga seu pretiositate materiæ (quæ aurum est vel argentum) & in pondere consistit; quæ vocantur à monetariis *Korn und Schrott/oder Gehalt und Gewicht. Extrinseca* in valore impositione five æstimatione, der Werth / die Wardirung / it. wie die Münze gang und gäbe ist / *vid. die Münz - Ordnung Ferd. I. de anno 1559. vid. ulter. Habn. in not. ad Weseub. Tit. de R. C. verb. ipsa mutui datio.* Restituenda est igitur intrinseca secundum bonitatem quæ fuit tempore contractus *Struv. d.l. Maul. Tit. 8. n. 30. Suth. dissert. 13. Aph. 23. pr.* Sequitur *Extrinseca* de qua Dd. variant, alii tempus solutionis advertendum esse censent, quorum fundamentum in eo consistit Juris articulo: Quotiescunq; id, quod solvitur, non in obligatione, sed in facultate solventis est, in petitiæ rei æstimatione ineundâ, non obligationis, sed solutionis tempus spectatur. Alii tempus contractus respiciendum esse existimant, quorum ratio nititur in eo: quod natura & substantialis forma mutui requirat, ut semper idem ejusdem generis in eadem bonitate solvatur, sicut datum est *L. 3. ff. de R. C. quam ultimam opinionem amplexus est Serenissimus Elector Saxo Augustus p. 2. C. 28. in pr. consentit Suthold. d. D. Aph. 23. in fine: ubi dicit: quod jus & æquitas omnino illud exposcat, quicquid etiam alii in contrarium disputent Struv. d. Exerc. 16. th. 31. Maul. c.l. Tit. 8. n. 25. quæst. verum hic queritur &c. usq; n. 30. excl.* Ventilatis prioribus duabus opinionibus, priorem usu receptam asserit, nisi species reddendæ promissæ fuerint, tunc enim tempus contractus respiciendum *vid. Franzk. Exerc. 9. q. 2. circa finem p. 388.* communissima tamen pariterque receptissima est sententia, quod in bonitate tam intrinseca quam extrinseca respiciatur tempus contractus, secundum ea, quæ tradit *Struv. d. Exerc. 16. th. 29. & 31. Suth. d. l. Sereniss. Elect. Sax. Aug. c.l. nisi aliud forte specificè sit conventum, tum enim pacta, ut est notorium, dant leges juxta L. 1. §. 6. ff. depositi. Vid. tamen Ad-*

D

ditæ

ditamenta Magnif. D. Præsidis, qui monet, potissimum respiciendum esse quid actum & quid mutuo datum sit.

CAPIT VI.
De Subjecto Mutui & activo
& Passivo.

Sectio I.

De

Subjecto Mutui activo seu Creditore.

§. 1. Præmissis ita Mutui tam descriptione quam materialibus & formalibus ejus requisitis, nunc quoque quædam de subjecto ejus tam activo, quam passivo proponam, cum eorum gratia omne jus constitutum esse dicitur *L. 2. ff. de stat. hom.* Cum enim ipsorum proclivis ad accipiendum mutuum animus, & pecuniæ numeratio non sufficit, de eorum potestate ac habilitate quædam notemus oportet. Cæterum cum mutui datio domini translationem *L. 2. §. pen. ff. de R. C.* & ita veram alienationem contineat *L. 16. de R. C.* is saltem mutuum dare potest, qui & consentire, quum nulla absque consensu sit conventio *L. 1. §. 3. ff. de pact.* & rei mutuo datæ dominus est, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habet *L. 54. de R. J. Harpr. c. l. n. 23. 24. & 25.* Requiritur vero dantem non solum esse dominum, sed & ejus ætatis ac conditionis, ut rerum suarum liber sit moderator ac arbiter *arg. L. 21. C. mand.* sexus sanè discrimen de jure communi non attendimus, cum luculenter doceant Foeminam mutuum & dare & accipere posse *L. 4. §. 1. ff. ad S. C. TUM Vellei. L. 2. C. eod. L. 1. §. 1. ff. de constit. pecunia. vid. Ant. Perez. c. l. n. 7.* quod tamen secus obtinet in Electoratu Saxonie, ubi mulieres sine interventu vel maritorum vel aliorum curatorum non ligantur ex contractibus juxta *Constit. 15. p. 2.*

§. 2. Juxta regulam igitur præmissam mutuum dare nequeunt
I. Ratione ætatis: *Infans*, quia non intelligit, quid agit *§. 10. J. de inutil. stipulat.* *Pupillus*, pecuniam sine tutoris auctoritate interveniente mutuo dans *L. 19. §. 1. ff. de R. C.* quum absque
ejus

102
ejus autoritate alienare nihil valeat, utilitatis tamen causa receptum est, ut mutuum subsistat, si consumpta sit pecunia data *L. 19. §. 1. de R. C.* Ex parte enim debitoris facit consumptio, ut translatum à Creditore dominium à debitore acquisitum existimetur, ubi tamen requiritur, ut ea accidat bona fide *L. 11. inf. h. t.* si dolo malo, rei vindicatio & ad exhibendum actio datur *d. L. 11. §. fin. h. t. II.*

Objudicii defectum: *Furiosus*, qui nullum iudicium habet, prout innuit Paulus in *L. 5. ff. de R. C.* & non intelligit, quid agit *S. 8. J. de inutil. stipul.* dixi furiosus sc. quatenus furiosus, quia tempore intervalli, quo remittit furor, uti singula alia negotia gerere, ita etiam mutuum dare non prohibetur *arg. §. 1. J. Q. M. Testam. infirm.* si tamen quis à furioso, quem mentis compotem esse existimasset, mutuum acceperit, mutuum convalescit, bona tamen fide ut acceperit, necesse est *L. 12. ff. de R. C.* Furioso adsimilatur *Prodigus*, qui furiosum bonorum suorum exitum facere dicitur, qui juxta cum illis Mutuum dare nequit, cum ipsi bonorum suorum administratio sit interdicta *L. 6. ff. de V. O.* cui tamen, si mutuum dederit alicui, etiam consumptionis effectus prodest, dum consumtis nummis condictio toties nascitur, quoties nummi eam ex causa sunt dati, ex qua potuisset existere actio, si translatum fuisset in accipientem dominium *L. 14. ff. de R. C.* **III. qui sunt alieni juris:**

Servi & filii familias in causa non peculiari. *Servi* quidem vel fugitivi sunt, vel sine voluntate domini pecunias mutuo dant, ubi quoad posterius, si nummi extent, vindicari possunt si sint consumpti, aut bona fide, & tunc condictio nascitur, aut mala fide seu dolo malo, & tunc ad exhibendum actio datur, *L. 11. §. f. ff. de R. C.* quoad prius, fugitivus accipientis nummos non facit, quia nulla in fugitivo libera peculii administratio remanet *L. 48. ff. de pecul.* In causa peculiari res se aliter habet, cum, sive servi, sive filii familias, mutuo dent de nummis peculiaribus, illud totum cedat in emolumentum vel domini vel patris *L. 2. §. pen. ff. de R. C. Harpr. n. 35.* & ita idem sit, ac si vice domini dedissent nummos mutuos *d. L. 2. §. pen. L. 35. ff. de solut. Harpr. n. 12.* quod fallit etiam in filiofamilias quoad bona castrensia & quasi castrensia, imo adventitia quæ

pleno jure habet *Nov. 117. c. 1. L. 7. C. de bon. que lib. dum in iis loco patrisfamilias habetur L. 2. ff. ad SCTUM Maced. ex quibus mutuum dare potest L. 17. ff. de R. C. Schnob. d. D. 8. th. 3. Ant. Perez. c. l. n. 7.*

IV. Ob malam fidem: *Fures sc. aliique ejusdem furis homunciones L. 13. pr. ff. de R. C. Harpr. n. 26. Speciali ratione prohibebantur quondam Rectores ac Praesides provinciarum durante officio suo foenebrem pecuniam exercere, sive per se ipsos, sive per alias personas interpositas, L. 3. C. si cert. pet. al. ne sc. ob potentiam vel gratiam, quâ pollebant, à provincialibus sub justitiæ umbra aliquid vi extorquerent, atq; ita studio quæstus ab administrandæ provinciæ cura avocarentur, quæ tamen prohibitio non extendenda est ad hodiernos Magistratus, qui perpetui sunt, cum Rectores olim & Praesides annui essent, modo concussionis metus aut suspicio absit, sicut docet L. pen. C. de his que vi met. causa sunt. Vid. Magnif. Ziegl. d. D. Aph. 34. & seqq. Anton. Perez. c. l. n. 5. Maul. c. l. Tit. 3.*

S. 3. Dare vero possunt mutuuum, qui habent liberam rerum administrationem vel propriam vel mandatam, quoad prius, omnes rerum suarum moderatores liberi ac arbitri veniunt arg. L. 21. C. mand. non autem tantum hæ privatæ & singulares personæ, sed & Universitates, Ecclesiæ, Collegia & Civitates hunc mutui contractum inire possunt L. 30. ff. de usur. in mutuando enim civitates privatorum jure utuntur L. 15. ff. ad SCTUM. Maced. sed secus obtinet in mutuo, quod accepit civitas, ubi cautela singularis diligenter advertenda, de qua infra in altera sectione. Ratione mandatæ administrationis hunc contractum inire possunt negotiorum gestor L. 4. C. si cert. pet. Procurator, Mandatarius, Tutor & Curator eorum nomine quorum negotia gerunt L. 26. ff. eod. similiter is, cui expresse mandatum non est, modo ad singula quæque domini negotia Mandatarius seu Procurator sit constitutus L. 58. & 63. ff. de procur. l. 9. §. 4. de A. R. D. §. 42. J. de R. D. C. 4. de procur. in 6to. Non dominis quoq; in verorum dominorum utilitatem mutuo dantibus L. 11. §. f. b. t. ipsis veris dominis acquiritur obligatio & condictio, ac si ipsi mutuassent L. 9. §. pen. b. t. quamvis alias obligatio per liberam personam nobis non acquiritur L. 38. §. 17. ff. de

ff. de V. C. Excipitur enim ab hac regula conditio certi d. L. 9. §. pen. de R. C. Porro non dominis suo nomine aliena pecunia mutuum contrahentibus, ipsis enim conditio nascitur & acquiritur, nec quaeritur, unde sit pecunia, sed quis sit, qui contraxit, si ut propriam credidit, cum tamen fuerit aliena L. 7. C. si cort. pet. Cum etiam actio emti ei detur, qui aliena licet pecunia rem aliquam emit. L. pen. C. si quis alteri vel sibi &c. Sed quæ actio nascetur, inquires, si Titius contra voluntatem Seji pecuniam ejus mutuo dedisset - Resp. Imperator Antoninus in L. 2. C. si cert. pet. : *Quamvis pecuniam tuam Asclepiades suo nomine crediderit, stipulando tamen sibi jus obligationis quaesivit, quam pecuniam ut possis petere, mandatis tibi ab eo actionibus consequeris.* Perspicuum itaque est mutuum contrahi non sola numeratione reali, quod alias mutui natura exigit pr. J. Q. M. R. C. obl. L. 1. §. 2. ff. de obl. & Act. sed etiam stipulatione L. 2. §. fin. ff. de R. C. & quidem rei non propriae solum, sed etiam alienae L. 7. ff. de novat. cum quâ stipulatione convenit literarum obligatio, de quâ D. Schnob. d. D. 8. th. 5. in hoc casu itaque non requiritur mutuo tantem esse dominum, quod alias mutui indoles, ut supra dictum, requirit. L. 2. §. p. de R. C. id enim saltem procedit, ubi res intervenit pr. J. Q. M. R. C. obl. ne vero Sejus verus dominus hac tatione in damno constitueretur Titii astutia, qui ita & ex dolo suo lucrum sentiret, quod esset contra L. 1. §. 1. & L. 12. ff. de dol. mal. cum nemini sua simplicitas damnosa, aut astutia seu calliditas lucrosa esse debeat, & caveatur, ne quis ex dolo lucretur, id quod contra ipsam naturalem aequitatem, locupletari cum alterius jactura L. 14. de condit. indebit. L. 206. de R. J. hinc Sejus mandatis sibi à Titio actionibus pecuniam mutuo datam consequitur d. l. 2. C. h. t. vid. Ant. Perez. c. len. 8. 9. & seqq. Maul. c. l. Tit. 3.

CAPITIS VI.

Sectio II.

De Subjecto Mutui passivo seu Debitore.

§. 1. Personarum itaque mutuum accipientium conditionem consideraturus, eadem quoque regulæ, quæ supra dictæ & hoc in

loco quoque; attendi oportet, dum eadem harum, quæ antea dictarum est ratio, ubi autem eadem ratio, ibi idem quoque; Jus esse debet *L. 32. ff. ad L. Aquil.* Cum enim Contractum rite ac legitime inire cum singulis quilibet non possit *L. 28. ff. de pact.* ideo earum habilitas & aptitudo, an sint celebrandi hujus contractus capaces, merito consideratur, nemo vero, ut opinor, mihi vitio vertet, si eundem contrahentium ordinem, quem antea attendi, & hic quoque servavero, quæ de causa breviter eas spectemus, quæ sint admittendæ, quæve non.

§. 2. Non admittuntur igitur **I. Ratione ætatis:** *Infantes*, quorum in omnibus negotiis iudicium satis infirmum est *L. fin. ff. de manum. vindict.* & consilii egentes dicuntur in *L. 8. §. f. de Acquir. vel Amitt. Hered.* quicquid vident, ignorant nec quid è re sua sit, scire vel intelligere possunt *L. 1. C. de fals. monet. L. 9. ff. de Acquir. vel Amitt. hered. vid. Maul. c. l. Tit. 4. n. 2. Pupillus.* licet alios ex contractu sibi sine autoritate tutoris recte obliget *§. 9. l. de inut. stipul.* si tamen ipse mutuo accepit pecuniam non interveniente tutoris autoritate, non tenetur *L. 189. ff. de R. J.* imo ne obligatur quidem, licet tutor intervenerit, nisi insuper creditor probare potest, mutuo datam pecuniam in rem pupilli versum esse *L. 3. C. quand. ex fact. tutor. &c.* Eadem ferè ratio delitescit in *Minore* absque curatoris autoritate contractum mutui ineunte *L. 3. C. de in integr. restit. vel etiam si læsus fuerit, licet Curator contractui interfuerit d. L. 3. C. quand. ex fact. &c.* modo non locupletetur cum jactura Creditoris *Minor L. 1. C. de reput. quod esset contra naturalem æquitatem L. 206. ff. de R. J. vid. Excell. D. Heb. c. D. th. 20. Maul. c. l. n. 9. Harpr. c. l. n. 38.* **II. Ob defectum iudicii:** *Furiosi*, quum nulla eorum sit voluntas *L. 5. & 40. ff. de R. J. Mente captus*, ubi eadem ratio ob hebetudinem iudicii vid. *§. præterea J. Non est permiss. fac. Testam.* *Furiosis* assimilantur **Prodigi**, quorum eadem ratio in *L. 40. de R. J. & L. Fulcinius §. idemq. ff. ex quibus caus. in possess. eatur*, ita quidem impunè contrahunt, ut ne juramento contractui adjecto obligentur *vid. Maul. c. l. Tit. 4. n. 3. & 4.*

§. 3. Removentur **III. Quisunt alieni Juris:**

Servi

102
Servi! sc. & Filii familias: Servus equidem citra domini iussum mutuo non obligatur juxta placita *Ulpiani* in *L. 9. §. 8. ff. de peculio*, nisi naturaliter, cujus obligationis talis est effectus, quod repetere nequeat, si manumissus restituerit, quod debuit *L. 13. ff. de conduct.* *indeb.* dixi porro: *Filii familias*; quod vocab: late hoc in casu accipitur, ut omnes, quicumque sunt in potestate parentum, comprehendat *L. 4. ff. de his qui sui vel alter.* &c. imo cujuscumque conditionis aut sexus, tam filii quam filiae familias *L. 9. §. 2. ff. ad SCTUM Maced.* tam primi quam ulterioris gradus, v. g. nepotes, pronepotes, abnepotes &c. *L. 14. ff. eod.* cum filiorum denominatione reliquorum inferiorum graduum quoque; liberi contineantur *L. 84. §. 195. §. 2. vers. jure proprio ff. de V. S.* ita quidem, ut nec filius familias industrius & ætate maturus, licet etiam in Magistratu sit constitutus, mutuum pecuniam accipere possit, *L. 1. pr. ff. ad SCTUM Maced. sc.* idem obtinet, si incertum sit, an adhuc constitutus sit sub patria potestate, aut si pater apud hostes existat *L. 1. §. 1. ff. ad SCTUM Maced.* quamvis autem filii familias aliàs vel maximè veluti patres familias in omnibus causis pleno jure obligentur, tum ex contractibus, licet etiam conditionem suam deteriore faciant, puto pro alio fidejubendo *L. 7. in pr. ad SCTUM Maced.* vel ipsum mutuum in se novandi animo recipiendo *L. 13. ff. d. t.* cum semper principium atque origo obligationis spectetur. *L. 3. C. eod. L. 37. ff. de judic. L. 39. de obl. & act.* excipitur tamen mutua pecunia *L. 1. ff. ad SCTUM Maced.* omneque illud insuper inhibetur, quicquid tendit in fraudem SCTI, si sc. conquirendæ pecuniæ gratia creditor filii familias rem aliquam vendat, quod pecuniæ vicem suppleat *L. 3. §. 3. in fin. & L. 7. pr. vers. Julianus ff. ad SCTUM Maced.* Limitatur tamen, Contractum mutui sc. ita prohibitum esse filii familias, si pecunia sc. inter venerit numerata, quæ ansam luxuriosè vivendi & necem patris promovendi præbeat *L. 7. §. 3. ff. eod.* nihilque refert, si ea pecunia gratis, si ve cum usurarum accessione credita sit *d. L. 7. §. 9. eod.* modo pecunia revera numerata, nec saltem est promissa, tunc enim Creditor SCTUM. non offendit *L. 3. §. f. L. 4. 5. & 6. ff. ad SCTUM Maced.* & ita omnis actio creditori adversus debitorem filium familias, vivo parente seu etiam post ejus mortem est inutilis juxta *L. 1. ff. eod.* Limitatur tamen I. nisi filius familias pro patre familias verisimiliter

similiter habitus esset *L. 3. pr. eod.* II. Si filius familias peculium ca-
strense vel quasi castrense habeat, in eo enim, loco patris familias
habetur *L. 2. d. t.* III. Si consensum suum accommodaverit parens,
aut deinceps ratum habuerit *L. 12. 16. ff. eod. L. 7. C. d. t.* IV. Si mu-
tuum illud in rem patris versum *L. 7. §. 2. 12. & 14. eod.* aut in rem fi-
lii, in quam pater ex pietate impensus sit *L. 5. C. eod.* V. Pater fami-
lias factus debitum istud denuo agnoscat *L. 9. ff. eod. Struv. Exerc.*
20. th. 57 Schnob. D. 9. th. 19. 22. & 23. l. xcel. Heb. 6. D. th. 21.

§. 4. Firmiter nec civitas obligatur, nisi specialibus quibus-
dam observatis, not. igitur I. *Quando soli civitatis administrato-*
res seu Magistratus, quibus solum Reipubl. curanda cura commissa
est, universitatem vero totam non representant (ut sunt consules &
senatores) mutuo pecuniam sumant, tunc civitas aliter non obligatur,
quam si constet, versam esse pecuniam in civitatis utilitatem. L. 27. ff.
de R. C. Sed quaeritur, quomodo versio pecuniae in utilitatem civita-
tis sit probanda. Resp. existimant quidem nonnulli sufficere, si
doceatur, Administratorem fuisse hominem fidum, industrium &
diligentem; pecuniam in conspectu decurionum fuisse numeratam,
civitatem eo indiguisse tempore, quo accepit *Maul. c. l. n. II.* verius
tamen videtur per testes ac instrumenta demonstrari oportere versio-
nem pecuniae in utilitatem civitatis, v. g. refectionem rerum ci-
vitatatis, aut in praediorum emtionem: jura enim absolute versionem
exigunt per *d. L. 27. de R. C. & cap. pen. X. de fidejuss.* Sufficit autem
semel versionem factam fuisse in civitatis utilitatem, licet postea
casu fortuito illa utilitas amissa sit *arg. l. 10. §. 1. l. ult. de negot. gest.*
quum res mutuo data alias periculo mutuatarii sit, ei que tanquam
domino pereat *L. 9. C. de pignorat. act. l. 11. C. si cert. pet. §. 2. J. b. t.*
is quoque, qui debet certam speciem, non liberatur rei interitu *§. 3. J.*
de emt. vendit L. 23. ff. de V. O. vid. Struv. c. E. th. 24. Suth. d. D. 13.
Aph. 16. Nec obstat *L. ult. de Exercit. act.* cum haec Lex de privatis
personis caveat, a quibus ad obligationem civitatis non valet con-
sequentia, quippe in qua speciatim exigitur versio pecuniae in civi-
tatis utilitatem *d. L. 27. de R. C. Harpr. c. l. n. 48. 49. Struv. c. Ex.*
th. 19. Schnob. D. 8. th. 4. it. D. 9. th. 6.

§. 5. II. *Quando mutuum in civitatis utilitatem non est ver-*
sam, tunc ipsi administratores soli, qui contraxerunt, eorumque here-
des

des tenebuntur conditione ex mutuo L. 27. ff. de R. C. & quidem si plures fuerint administratores, juxta analogiam juris singuli in solidum tenentur, in quam rem & allegari solet L. 1. C. quo quis ordine & c. L. XI, quo casu tamen beneficio divisionis fruuntur L. 11. ff. ad municip Schnob. D. 8. th. 4. si etiam eveniat quendam Administratorem excipere, pecuniam nimirum versam esse in civitatis utilitatem, ejus probatio ipsi incumbet arg. L. 19. ff. de except. quapropter contrahentes cum civitatis administratoribus caute mercari discant argum. L. 2. C. de furtis scientes in ipsorum perniciem redundare, si pecunia in civitatis utilitatem non conversa arg. L. ult. C. de vend. reb. civit. L. XI. Harpr. c. l. n. 46. Schnob. d. L. & D. 3. th. 23. cum not. Baieri ad eandem. Struv. in Exerc. 16 th. 22. Maul. c. l. n. 12. Corvin. p. 250. quest. an Administrat. civit. & c. idem quoque obtinet in aliis universitatibus, ut villis, vicis, pagis; nec non collegiis opificum, imo in Ecclesiis, ut jam dictum est, quod nimirum ex pecuniæ mutuatae acceptione ipsa Ecclesia non teneatur, per Auth. hoc Jus porrectum in f. C. de Sacrosanct. Eccles. Nov. 120. c. 6. secundum tradita de civitate tamen & hæc positio limitationem suam recipit Vid. Maul. c. l. n. 13. ubi varias limitationes subministrat. Quæ tamen hætenus de hac versione dicta sunt; ea locum habent tantum in contractu mutui & similibus, secus vero in contractibus aliis, ubi privatorum jure utitur p. L. 15. ff. ad S. C. TUM Maced. Struv. d. l. th. 20. 21. & 23. Schnob. d. d. 8. th. 4. in fin.

CAPUT V.

Sectio unica

De

Actione quæ ex Mutuo oritur & Quæstione unâ vel alterâ de Usuris.

§. 1. Actio hæc, quæ ex obligatione mutui oritur, vocatur aliàs, condictio, quæ Dd. melioris doctrinæ causa nonnuquam

quam venit cum adiectione scil. *Condictio certi ex mutuo pr. J. Q. M. R. C. obl. Oldend. Cl. 4. Aet 17.* quia de re, cujus per numerum, mensuram aut pondus certissima potest fieri designatio, competit *L. 6. ff. de R. C.* cum ea ceteroquin tanquam genus omnes actiones, quibus certum petitur, comprehendit, quod innuit *Ulpianus in L. 9. pr. h. t. quando inquit: Condictio certi competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur: sive ex certo contractu petatur, sive ex incerto, licet enim nobis ex omni contractu certum condicere, dummodo presens sit obligatio.* Datur hæc condictio ex istis obligationibus in genere, quibus certa species aut quantitas debetur, totque sunt conditiones, quot contractus, quibus certum debetur, *pr. J. Q. M. R. C. obl. L. 3. § 24. ff. de R. C.* secundum tradita *D. Struv. d. D. th. 39.* Est porro ea personalis actio *§. 1. § 15. J. de Act. rei persecutoria §. 17. eod.* competens domino vel rem propriam *pr. J. Q. M. R. C. obl.* vel pro parte sua communem mutuo danti; *furioso mentis compoti credenti L. 12. de R. C. absenti § ignorantis,* cujus nomine mutuata est pecunia, *L. 9. § 8. L. 26. ff. de R. C.* Pluribus mutuo dantibus, quo casu tamen unus solum debitor exigere nequit, nisi tanquam Procurator reliquorum nomine agit, vel expressè convenit, ut debeatur singulis solidum, quo casu tamen plures rei fiunt credendi eorumque heredibus: *adversus mutuo accipientem,* nisi sit persona inhabilis, quæ efficaciter obligari nequit, qualis *infans, Pupillus furiosus &c.* de quibus supra *C. 6. sect. 2. §. 2. eum cujus nomine mutuum est contractum L. 29. de R. C. Civitatem & administratores ejus, secundum tradita d. Cap. § Sect. §. 4.* Plures accepto mutuo se debendi reos constituentes, aut pro se invicem fidejubentes; qui omnes in solidum pro universo debito recte conveniuntur *L. 5. § 12. C. h. t.* alioquin pro parte saltem quisque conveniendus foret, eorumque heredibus *L. 44. l. 6. §. 3. de re judicata, fidejussores eorumve heredibus §. 2. J. de fidejussor.* Adversarius autem seu debitor conventus eâ ratione se defendere nequit, si mutuum casu periisse affirmet *L. 9. C. de pignor. act.* quum generis debitor speciei interitu non liberetur *L. 11.*

L. 11. C. si cert. pet. vel in alterius tertii emolumentum versam esse asserat, dum hic non quæritur, in cuius commodum sit conversa pecunia mutuo accepta, sed quis sit, qui contraxerit L. 7. C. si cert. pet. Persequitur igitur hæc actio rem mutuo datam ejusdem generis, quantitatis ac qualitatis L. 3. ff. h. t. ἐκ ἀλόγῃ quandoque rei reddendæ æstimationem, si fortè copia ejus haberi nequit, sicut etiam ob moram debitoris, ab eo præstandum interesse ratione damni emergentis & lucri cessantis, de quâ quæstione satis prolixus est *Maulius c. l. Tit. 9. integro. Qua actione Creditor debitorem condemnari rogat, ut tantum, quantum mutuo accepit, cum damnis & eo quod interest, restituat. Oldendorp. Cl. 4. Act. 17. n. 4. 5. 6. Schnob. d. d. 8. th. 12. Maul c. l. Tit. 11 Anton. Perez. ad tit. C. si cert. pet. n. 29. 30. Excell. Heber. c. l. th. 23. Mutui itaque indole nunc plenius discutiendâ formulam libelli sequentem subjiciam.*

P. P.

Denenselben soll ich nicht bergen / welchergestalt den 13ten Augusti des verstrichenen 1685/ Jahres ich den Maximo Einwohnern hiesiges Orthes 100. Reichs Thaler vorgestreckt / Selbiger auch alsofort solche in empfang zu sich genommen / wie denn dieses mit mehrern seine hierüber ausgefertigte Obligation sub Litera O ausweist : Wann aber von Selbigen / ohnerachtet zu meiner Befriedigung unterschiedliche freundliche Erinnerungen von mir beschehen /

E ij

hen / in 'gütern nichts bekommen können :
Als gelanget an meine Großgünstige und
Hochgeehrte Herren mein dienstliches suchen/
solchen säumigen Schuldener præfixo legali
termino , förderlichst vorzufordern / und bey
erfolgender comparition dahin anzuhalten /
daß Er entweder die Obligation gebührend
recognoscire , oder eyndlich difficire , auff des
erstern erfolg aber / mir die libellirten hundert
Thaler neben dem à tempore moræ auff ge-
schwollenen Zinsen / verursachten Schaden
und Unkosten / bey vermeidung der Hülffe zahle
und entrichte. Solches &c.

§. 2. Antequam hic abeam & vela dissertationis meæ con-
traham unam vel alteram quæstionem ventilare placuit :

I. Usura quotuplex sit.

II. Usuræ an sint licitæ, & deniq;

III. Usuræ an actione ex mutuo exigì pos-
sint.

Respond. quoad I. Usura sc. quotuplex sit,
eam triplicem esse : Vel *Compensatoriam* , quæ non tam usura
est , quam justa quædam veri Creditoris interesse compensatio.
Vel *Punitoriam* , quæ non excedens legitimum usurarum mo-
dum *L. cum allegas 15. C. de usur.* à debitore ob moram quasi
in pœnam præstatur *L. 17 §. 3. ff. eod.* quæ usuræ etiam non
promissæ debentur in bonæ fidei contractibus *Struv. Exerc. 27.tb.*

44. Schnob. D. 13. th. 6. qvo spectat Imperatoris Severi & Antonini rescriptum in L. Usuras emtor. 2. C. b. t. ubi emtor a die traditionis factae ad pretii usuras tenetur, Mora autem est causa his usuris debitorem subjiciens, est enim frustratoria dilatio praestandi id, quod praestandum venit. J. Schnob. d. d. 13. th. 3. idem sentit Pomponius in L. 60. ff. pro socio, inqviens Socium, qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cum ea pecunia ipse usus sit, usuras quoque eum prestare debere, Labeo ait, sed quod socii interfit, moram eum non adhibuisse. Hac Pomponius; praesto est exemplum in negotiorum gestore, diligentiae, culpa ac damni aestimationi praestandae obnoxio, qui collum subdit huius pena L. 11. 19. S. 4. ff. de negot. gest. quando pecuniam, quam dominus foenerari solitus, foenori non applicuit L. 24. C. de usur. Vel Lucratorem, cujus fundamentum est mutuantis animus lucelli avidus, quando sc. ea lege mutuatur pecuniam, ut usus, non ejus quod interfit, nomine, annuatim certum quid praestetur. Haec est illicita, & Jure divino ac canonico prohibita Exod. 22. vers. 21. & 25. Luc. 6. vers. 34, ubi Christus peccatoribus assimilat ejusmodi mutuo dantes, imo mentalem (ut cum Perezio ita loquar) saltem interdictam volunt, quando scil. quis, cum mutuatur pecuniam, non proximi commodum & emolumentum respicit, sed proprium saltem lucrum & interesse Cap. 10. X. de usur. hinc haereseos etiam suspecti declarantur, qui usuras approbant cap. 1. eod. in 6to.

S. 3. Divisione igitur usurarum praemissa, & paucis, an possit esse licita, praelibatis, sequitur alterum, **an sit usurae licitae** Resp., quod Usurae in se consideratae neque simpliciter bonae, neque simpliciter malae sint, aliam DEUS Judaeis, ne extraneis faenerarent, plane interdixisset Deuteron. 23. vers. 26. nam quod foenus Israelitis inter se exercere prohibuit ad Politicas illius Reipubl. ieges pertinere videtur. Sed mediae naturae, neque per se bonae, neque per se malae, sed quod malae sint, id fit ex accidenti, quatenus legitimum usurarum modum

E 3 & hu-

& humanitatis rationem excedunt, ac cum afflictione & morfu pro-
ximi conjunctæ tales efficiuntur *Schnob. d. D. 13. th. 2.* Licita est earum
exactio à divite, illicita à pauperrimo homine: Licita est modica, illi-
cita est immodica: ut enim alteri beneficiamus & nobis non no-
ceamus, tum charitas innata, tum Lex divina & naturæ nos docet
Franzk. Exerc. 9. qv. 4. licet autem Usuræ visæ fuerint multis odio-
sæ, cum tamen & interesse nostrum probari difficile sit, ad a-
vertenda vitiligia, quibus exerceretur Respublica, & futurum
sit, ut supra docuimus, quod nemo divitum, omni spe lucel-
la præscissâ ne teruncium quidem pauperibus prænumeraret,
Principes Christiani certis tandem cancellulis hanc usurarum
materiam & earum præstandarum facultates circumscriperê,
quum viderent se non vivere cum perfectis, quemadmodum eâ
de re conqueritur *Schnob. D. 1 th. 14. in med.* quæ tamen u-
surarum determinatio variis vicissitudinibus fuit obnoxia: Legi-
bus enim 12. Tabul. levissima fuit usura sc. unciaria: hæc ite-
rum rogatione Tribunitiâ ad Semiunciam est redacta, postea
variis constitutionibus ad centesimam usque ampliata & aucta,
quam sanguinolentam vocat *Seneca lib. 7. de benef. c. 10.* quod
tamen usurarum fastigium temperavit Imperator Justinianus in
L. 26. §. 1. C. de usuris atque ad semissem redegit, certis ta-
men casibus exceptis, quos recenset *Anton. Perez. c. l. n. 4. 5. 6.*
& seqq. *Maul. c. l. Tit. 10. n. 4. Schnobel. d. D. 13. thes. 7. circa*
fin.

§. 4. Tertium denique quod attinet momentum scil.
An usuræ cōditione ex mutuo peti possunt?

Resp. negando. Mutuum enim est suâ naturâ gratuitum *L. 12.*
§. 1. ff. de V. S. nec ultra id, quod datum est, contrahitur *L.*
11. §. 1. ff. de R. C. ideo quæritur porro, quomodo petendæ
sint & exigendæ? Resp. distingvendo: Usuræ debentur vel ex
mora, (& quidem in bonæ fidei contractibus *L. 32. §. 2. ff.*
de Usuris:) vel ex conventionem *L. 17. §. 4: ff. de Usur.* pri-
mum membrum bifariam considerandum se præbet, vel ex re,
quæ usura ipso jure committitur, exempla præbent fideicom-
missa-

missaria libertas *L. cum vero 26. §. 1. ff. de fideicom. libert.* id
quod minori debetur *L. 3. C. In quibus caus. in integr. restit. &c.* vel
ex persona *L. 32. pr. ff. de usur.* si opportuno loco debitor in-
terpellatus non solverit *d. L. 32.* Secundum usurarum mem-
brum contrahitur vel stipulatione, vel pacto. Ex priori indi-
stinctè debentur usuræ, siue contractus sit bonæ fidei siue stricti
juris *L. 3. C. de Usuris.* Ex pacto in contractibus bonæ fidei,
si in continenti sit adjectum *L. 24. in fm. ff. depositi* secus in stri-
cti juris contractibus, nisi exceptis casibus, quos vide apud
D. Schnob. d. D. 13. th. 7. circa. finem. Maul. c. l. Tit. 10. n. 4.
in stricti juris tamen contractibus usuræ pacto promissæ exsolu-
tæ repeti nequeunt, cum naturalem obligationem agnoverit de-
bitor *L. 13. ff. de condict. indeb.* imo per retentionem servari
possunt *L. 4. C. de usuris. D. Schnob. d. D. 13. th. 3. 4. & seqq.*
Ne autem nimium excrescat disputatio, pedem hic figo, gra-
tiasque ago DEO Ter Optimo Maximo pro concessis hacte-
nus tenuissimis licet corporis viribus! Tandem benevolum e-
tiam Lectorem rogatum volo cupioquè, ut omnia minus for-
san accuratè posita atque elaborata benevolè interpretari velit,
memor illius: quod in magnis atque arduis voluisse
etiàm satis sit.

F I N I S.

Menda B. L. ita corriget.

*A. 2. lin. 12. lege dedit: libert: toll. Lin. 16. necessitatem. A. 2. b. lin. 14. stre-
nuè se armat. lin. 20. ejusdem. lin. 23. & 25. it. A. 4. b. lin. 18. Enchirid.
A. 1. b. lin. 29. quum. A. 4. lin. 16. permissum esse. A. 4. b. lin. 3. Exerc. lin.
15. Perez, lin. 24. sit. lin. 31. Exerc. 16. B. b. lin. 11. obl. & B. 2. lin. 6. at. lin. 21.
deposito certo B. 2. b. lin. 1. del. J. B. 3. b. lin. 22. lege fautem. B. 4. lin. 11.
depositarius. lin. 28. procurator. B. 4. b. lin. 7. Quær. lin. 12. represen-
tent. C. lin. 6. d. lin. 24. probetur. lin. 34. acetum. C. b. lin. 20. solva-
tur. lin. 28. contrah. C. 2. lin. 4. d. lin. 8. promisit. C. 2. b. lin. 21. substan-
tia.*

cia. lin.22. consistat. lin. 33. d. C.3. lin.10. Schnob. lin.28 vicissim. C. 3.
b. lin.16. torum. C. 4. lin.12. h. lin.19. potest. lin.23. comprehendi. lin. 26.
ad dandum. C. 4. b. lin.17. usuali, lin. 25. faciendam. lin.29 Schulz. D.
b. lin.3. IV. D. 2. lin.16. bonorum. D. 2. b. lin. 8. petat. D. 3. lin. 9. Anto-
ninus. lin.15. alienæ. lin.18. dantem. lin.21. ratione. lin.29. IV. D. 3. lin.
20. versam D. 4. lin.6. impensurus. Alia quædam minuta, quæ in
typis vel plane omissa, vel præposterè posita inveniuntur, cuiusq̃
candori relinquuntur.

FINIS

Ad



ADDITAMENTA
PRÆSIDIS.



Um Auctor hujus
Dissertationis va-
ria de monetâ ejusq; mu-
tatione tetigerit; placet
materiæ illig principia ex
Jure naturali & Civili hîc
in Synopsi proponere. Pecuniæ vocabulo
tria comprehenduntur I. *Materia* sive me-
tallum unâ cum bonitate suâ spectatum,
juxta tit. ff. de R. C. L. cum quod mutuum
3. II. *Quantitas* proprie dicta, nempe pon-
dus. III. *Forma* nempe Testimonium
publicum de materia & qvantitate *ff. de con-
trah. emt. vendit. L. 1. pr.* Solet etiam circa
qvæstiones de monetâ valoris mentio fieri,
qvi nihil aliud est, quam comparatio uniûs
F mone-

monetæ cum alterâ, & absque corporibus non magis in rerum natura dari potest, quam in scholis philosophicis accidens absque subiecto. Itaq; Quoties pecuniam mutuo datam dicimus, corpora concipienda sunt. Sed hinc accuratè spectandum, quid actum sit, v.g. dedit quis mutuos 100. Imperiales; Imperiales concipiendi sunt: sed dedit mutuos 100. Imperiales, singulos ad valorem 24. grossorum Misnicorum: 2400. grossi Misnici mutuo dati concipiendi sunt. Porro pecuniâ mutuo datâ natura contractus mutui requirit, ut tantundem quoad materiam pondus & formam reddatur: unde est, quod pecuniam numeratam dicimus, sive eam ad numerum dare possumus. Hinc facile patet, si intrinseca monetæ bonitas imminuta sit, etiamsi debitor monetam illam eâdem formâ percussam reddere velit, obligationi suæ non satisfacere, sicut contra eâ auctâ bonitate intrinsecâ, quod additum est, lucro debitoris cedit. Extrinseca monetæ bonitas


tas

tas sive valor debitori nec imminutus nocet, nec auctus prodest, quia corpora, ut diximus, spectantur, nec potest debitor promittere, se v. g. 100. Imperiales, singulos ad valorem 24. grossorum Misnicorum reddendum, cum valor monetæ in ejus potestate non sit, sed ab usu hominum, & jussu superioris pendeat. Hæc ita ex analogiâ contractus mutui, à quâ tamen Leges nostræ ob utilitatem publicam hæcenus recedunt, ut liceat debitori mutuum pecuniarium in aliâ monetâ ad corporum datorum valorem, qui nunc est, solvere, nisi aut inde damnum passurus sit Creditor; aut aliter & de corporibus mutuo datis reddendis conventum sit *ff. de solut & liberat L. debitorem 99.*

II.

Sententia nostra, quod quæ de dominiis eorumq; Jure satis eruditè hodiè disput-


37
disputantur, propter Jura feudalia in Impe-
perio nostro, antequam ista disputarentur,
recepta statibus Imperii nostri commodè ap-
plicari vix possint, Principibus & Statibus
Imperii non nocet, sed potentiam eorum
attollit. Ejus vero fundamentum non tan-
tum in nexu, sed etiam textu feudali
quærendum est.



X 26159 14

7007





B.I.G.

Farbkarte #13

V. J. C.
 TATIO
 1686
 1/9
 MUTUI,
 DEO
 RUM Ordinis
 Academia
 IDE
 SIMO, AMPLISSIMO
 TISSIMO,
 O LEISERO,
 æ Electoralis, Consistorii
 cæ & Scabinatus Adfesso-
 tissimoq; &c.
 orum suorum Promo-
 nibus colendo.
 examini subicit
 R
 lieb CALERTUS,
 ifn.
 JGtorum,
 C LXXXVI.
 ERGÆ,
 DI, Acad. Typogr.

